



IOannes ex illustri familia Vnganottorū in Styria natus est, anno circiter 1490. Is cum præclara indole insignis esset, à pueris operam literis dedit, & mediocrem sibi eruditionem comparauit. Postea animū ad militaria studia adiecit, & in primis Cæsaris & Ferdinandi regis castra in Vngariā contra Turcam secutus fuit. Aliquoties etiam ordines duxit, cum potenti hoste confligit, & se talem exhibuit, ut etiamnum frequens eius apud Vngaros mentio fiat. Cum etiam Euangelij lux exorta esset, eandem suscepit, & quantum potuit etiam apud Barbaros promouere cōtendit. Id ut commodius fieret, magnis sumptibus per homines idoneos sa-

cras literas & Lutheri aliquot lucubrationes in Slauonicam linguam uerti, atq; in officinis Slauonicis (per Germaniam hætenus insolitis) publicari curauit. Eos libros postea merciū instar ad Turcas transmisit, atq; hoc modo multos illorum ad Christianam religionem perduxit. Cum hoc modo literarum studia, & in primis rem Christianam pro sua uirili adiuuisset, atq; etiam multos alios principes & respublicas ad idem opus continuandum excitasset, tandem in ducatu Wuirtembergensi, ubi ad tempus habitarat, Anno 1563 admodum senex obiit, & honorificè sepultus fuit. P. Iouius. Anon.